

7c 362

947

*Ποδαύλια αιάγραμματικά*

IN HONOREM ET GRATIAM

Viri Magnifici, Nobilissimi, & Excellentissimi

**DN. VALENTINI**

**JÖPNERI, PH. ET J. U. D.**

Sacri Lateranensis Palatij, Aulæ Cæsareæ ac  
Imperialis Consistorij Comitiss,

C V M

*Primaria, Lectissima, & Honoratissima Femina*

**DOROTHEA,**

*Amplissimi, Clarissimi longoq; rerum usu &  
experientia prestantissimi Viri*

**DN. PAULI PLEVSNERI, PH. ET Med. D.**

*& Reipublicæ Fribergensis Ordinarij, & c.  
Filia dilecta.*

Et Prudentissimi ac Honoratissimi Viri

**DN. GOTHOFREDI SCHÖNLEBII Senatoris**  
quondam Fribergensis, relicta vidua.

BONO CVM DEO

*Sponsalia Fribergæ Hermundurorum celebrantis,*

Decantata Lipsiæ

à

**M. Melchiore VVeinrichio, Poëta Laureato**

Cæsareo & Sch. ad D. Th. ibid. C.

Freibergæ Hermundurorum, Georgius Hoffman imprimebat.

## DEDICATIO.

Quando Palatinæ palmaris adorea Divæ  
JÖPNERVS patriæ tecta revisit humi,  
Innumerabilium titulis cumulatus honorum,  
Noluit occulta delituisse specu:  
Sed celebrata redux intravit mœnia; quâ se  
Emporio & Musis LIPSIA dives alit.  
Scilicet ut tanto magis innotesceret illis,  
Qui peterent capiti præmia digna suo.  
Nec mora; doctorum juvenum maturrima messis  
Convolut, & meritò dona cupita refert.  
Invidus ista videns obliquis limat ocellis:  
Sed miser exitij fit faber ipse sui.  
Interea COMITEM JÖPNERVM verna voluptas  
Fribergam Philyræ prolicit usq; Solo.  
Hic, ubi Pleusnerias aliquanto longius ædes  
Incolit, admittens gaudia multa sibi,  
Et cum Schönlebij viduâ, Pleusneride natâ.  
Tincta Tibullæo verba lepore facit,  
Improvisus adest Cythereidos ille cupido,  
Et jaculis unis pectus utrumq; forat.  
Mox ambo incipiunt tacitis ignescere flammis,  
Quærit & alternos ignis in igne cibos,  
Quoq; magis prohibes ortum fervere calorem;  
Hoc alimenta vides fumere plura faces.  
Cum Pater idcirco PLEVSNERS cerneret horum  
Ignes alterno fomite semper ali,  
Legitimis de more jubet SPONSALIBVS ambos  
Ad focij fœdus deproperare tori.  
Quæ dum nostra levi descripsit carmine Musa,  
Accipe, MAGNE COMES, qua tibi mente datur.

Spon-

I.

Sponsus ad Sponsam:

VALENTINVS JOPNERVS  
TV VRIS NOS; PLENA VENI.

**J**OV A maritorum & Paradisi conditor horti,  
Qui primis nuptis pronubus ipseus erat,  
Et junctos hodiè pro voto solus amores  
Curat, presenti subsidioq; juvat,  
Me tractare minus socia sine compare vite.  
Posse meas partes calitus ipse videt.  
Hinc mihi Te monstret, cui possim dicere; donis  
PLENA VENI, TV NOS VRIS, amata veni.

II.

Querela Sponsæ

DOROTHEA PLEVSNERIA.  
VT HEROIS PLANE ARDEO!

**H**Eu mihi, quantus habet subito præcordia fervor,  
Quam sævo pectus percoquit igne meum!  
Ignis adest venis, tenerisq; sub ossibus hæret,  
Ut rear huic amplum vix satis esse fretum.  
Non ita Trinacrijs ardens fuit Ætna caminis,  
Nec cruciat siccas febris anhela fibras:  
Strenua VT HEROIS tacitis PLANE ARDEO flammis  
Suspikor has Veneris tela tulisse faces.  
Vt patrias etenim COMES hic JÖPNERVS ad ædes  
Visit, ut occultum pectora vulnus alunt.  
Næ mihi fausta foret lux, quâ vir tantus ad aram  
In thalamos juret voce manuq; meos.

A 2

Sponsus



Sponsus ad Sponsam.

VALENTINVS FOPNERVS.  
EN SPONSI TVI VULNERA,

S Alve Pleusneris, quondam Schonlebia conjux,  
Digna Patris genio, digna viriq; toro.  
Ut te specto lubens, mea lux, & sola voluptas,  
Quamvis des animo vulnera multa meo.

O utinam parili Veneris rapiaris abeno,  
Mutuaq; accipias vulnera corde tuo;  
Vulnera, sed vitam referentia vulnera utriq;  
Qualis inest plagis vis, Pelecane, tuis.  
Pectoris ecce tibi penetralia pando; futuri  
Si lubet, EN SPONSI VULNERA cerne TVI.  
Hæc nisi vulneribus paribus sanaveris: actum est,  
Ilicet exportet me Libitina foras.  
Ecquid respondes? non cernis ut exsternatus,  
Læsus inassueto vulnere labar humi?

Responsio Sponsæ

DOROTHEA PLEVSNERIA  
HVI TEN' LÆDO? PARS ERO.

HVI quid ais? Hospes noster, quid inaudio? mène,  
Crudellem cordi vulnera ferre tuo?  
TEN' LÆDO? tanti quæ crimen abominor ausi.  
Judice me, videor dira megæra tibi.  
Eccui namq; bono nil quicquam tale merentem,  
Lædere? qui purgem crimina tanta Deo?

Si mea

Si mea pura fides tibi, si propensa voluntas,  
Quòq; calesco tui, cognitus esset amor,  
Non tam grande nefas in me componere posses,  
Quæ fermè tacito conflagro amore tui.  
Quomodocunq; licet, tibi prompta medebor et immò  
PAR sego cordis ERO dimidiata tui.

V.

Replica Sponsi

VALENTINUS JOPNERUS.  
SPONSA VENIT VULNERI.

**E**Rgo serenato salientia pectora vultu  
Edant letitiæ plurima signa novæ;  
Jubila læta sonent palmis plaudentibus; omnis  
Tristitiæ facies esto fugata procul.  
Erige cingendum caput, O JOPNERE, corolla,  
Et calamistratam pectè repecte comam.  
Nec quicquam faciens sincera ad gaudia desit,  
VULNERI enim nostro SPONSA medela VENIT.  
Sponsa medela venit, sed cui sit fidere tutum,  
Cum celebri Medico sit genitore sata.  
Et quid ni fidam? Schönlebius eger eodem  
Morbo, sensit eam vim satis antè probam.

VI.

Duplica Sponsæ.

DOROTHEA SCHOENLEBIA.  
ESTO: BLANDE HOC AI HERO.

**E**STO; nec ipsa nego Sponsam me velle vocari,  
Stella Sacerdotum juris honora, tuam.

A 3

Ne

Ne quis jura tamen sacra dicat inire mariti  
Nos clandestino fædere avere tori:  
Circumspectus HERO (sic patrem dicere fas fit);  
HOC pactum BLANDE, nec dubitanter AI.  
Non morosus erit, captivæ abludet ab istis,  
Cum tibi non possit quid nisi velle benè.  
Senseris ipse, domus nostræ gratissimus hospes;  
Quantus amat fautor, cultor & esse tui.  
Scilicet hoc facies morum concinna tuorum,  
Famaq; magnifici Nominis illa merent.

V I I.

*Sponsus ad Patrem.*

VALENTINUS JOEPNERIUS.  
PATER VELIS; VENI, NOS UNI.

**P**leusneride Doct̃or sapienti Peonis arte  
*Qui differs, Domino non renuente, necem,*  
*Qui pius illius viduæ es PATER, illius inquam,*  
*Præ quâ sit nulli virgo petenda viro.*  
*Hæc tua perpetuum mihi filia spondet amorem,*  
*Vinclaq; sancta tori, dum modo tute VELIS,*  
*Ni gravis idcirco te iudice causa repugnat,*  
*Firma consensu fœdera nostra tuo.*  
*Atq; VENI, par NOSq; sacri sociabile lecti*  
*UNI, servando tempus in omne iugo.*

V I I I.

*Pater ad Filiam.*

PAULLUS PLEUSNERIUS PHILOSOPHIÆ  
ET MEDICINÆ DOCTOR.

SI DOROTHEA (vel quod idem est significatione &  
transpositione THEODORA) VOLES, HUIC  
REI PLENE APPLAUDO  
PUNCTIS MEIS.

DORO-

**D**OROTHEA imbellis germen memorabile sexus,  
 Quod me collator patre fuisse satum.  
 Aure nec invitus bibo, te post tristia tandem  
 Nubila, nunc claram rursus amare diem;  
 Sepositoq; tuum viduj mærore cubilis  
 Velle torum sponso lætificare novo.  
 JÖPNER Oq; fidem me consponsore paciscj,  
 Quam debet nupto nupta virago viro.  
 Ergo MEIS PUNCTIS REI HUIC APPLAUDO libenter  
 Et PLENE firmo, SI THEODORA VOLES,  
 Sed Theodora voles, ut ego volo. Rebus in istis  
 Velle meum meritò sit quoq; velle tuum.

IX.

*Declaratio sponsæ*

DOROTHEA PLEUSNERIA  
 HÆRESN' PATER? ID VOLO

**A**Mbiguis HÆRESN' animj PATER optime, clavis?  
 Me dubitasq; jugum velle novare meum?  
 ID VOLO, quod rogitas. Namquid, Pater anxia curis  
 In viduo malim secubuisse toro?  
 Sat lacrimis functiq; datum sat honoribus urnæ,  
 Nec tamen his nupto reddita vita meæ est,  
 Parebo Cilici Tarso Perseide nato,  
 Nubere qui viduæ jus, cujcuq; dedit.  
 Hic mihi sit potior, quam Portia, & Annia, quamq;  
 Martia cordato Patre Catone sata.  
 Ne Pater ergo time me despondere secundum,  
 Cuj desponderi cor properanter avet.

Ipsa

7c 362 PK

Ipsa desponsatio.

PAULUS PLEUSNERUS, VALENTINUS  
JOEPNERIUS, ATQUE DOROTHEA SCHOENLEBIA,  
UNIO. PROBET HÆC SPONSALIA DEUS  
VERUS ET UNUS; QVO PERENNETIS. HALLELUJA.

Cum vos idcirco consensus adunet utrosq;  
Mutuus, atq; patrem me mora nulla vetet.  
In PATRIS, FILII, & SACRATI nomine FLATUS,  
UNIOVOS, sponfos & jubeo esse novos.  
Quò DEUS & PROBET HÆC SPONSALIA VERUS ET UNUS  
Numen supplicijs oro & honore meis.  
Quòq; secuturas hymeneja gaudia tædas  
Excipiant lato fidere, avi; bona,  
Vosq; PERENNETIS magno cum laudis honore  
Vestrorum, propria cumq; salute diu.  
Nec pigeat quondam vos, quod pepigistis utrinq;  
Fædus ad extremum mortis agona ratum,  
Dum sine fine poli super aurea sidera vecti,  
HALLELUJA Deo dulce canatis opus.  
Hoc precor, hoc fausto DEUS impleat omine, quiq;  
Corde precatur idem, voce loquatur, AMEN.

*Griphus Sponfo & Sponse Solvendus*

Sum quod eram, neq; sum, quod eram, teneo  
tamen illud  
Quod tenui, neq; jam, quod tenui, teneo.



107  
M.C.



IN H  
 Viri Mag  
**DN.**  
**JÖPN**  
 Sacri Late  
 In  
*Primaria*  
**D**  
*Amplissim*  
*es*  
**DN. PAV**  
 & Res  
 E  
**DN. GOT**  
 qu  
*Sponsalia*  
 M. Melch  
 Cæ  
 Freibergæ He

7c 362

947

